



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXXV. De laicis qui fabricae ecclesiae administrant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

cto excommunicationem incurrant, nec absolui  
valeant, nisi quod deliquerunt emendent.

## XXXIV.

Leccatores seu reprobatos apostolos in eorum reprobata regula remanere vetantes omnino, volumus quod nullus clericus, nulla sæcularis persona, intuitu religionis eorum, ac insolito habitu, eos de cetero recipiat, aut eis alimenta ministret. Et qui contra fecerit, arbitrio sui ordinarii puniatur. Quod & in vagis scholaribus tractandis obseruari volumus: & quod clericali priuilegio coram sæculari iudice nequeant se tueri.

## XXXV.

Laicos in nonnullis partibus prætextu fabricæ ecclesiæ reparandæ per laicos sine consensu prælatorum, seu capitulorum ecclesiarum huiusmodi ad recipiendum oblationes, seu prouentus alias concessos fabricæ deputatos, præsentis constitutionis tenore huiusmodi officio exnunc esse volumus priuatos, & alios laicos, vel clericos, siue prælati, seu capituli ecclesiarum reparandarum assensu, prohibemus in posterum ordinari. Cum ex priuilegio, vel ex longinqua consuetudine approbata, vituperosum existat, vt laici prælatis & capitulis ecclesiarum inuitis bona ecclesiæ administrent. Ideoque qui contra fecerint, ac per ordinarium loci moniti infra mensem ab hoc officio non cessabunt, eos excommunicatos esse volumus ipso facto.

## XXXVI.

Personas omnes, quacumque dignitate & status præ-